



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 76. Fratris Augustini de Pipia Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

nuit, & sequenti anno nomine Capituli Vaticani Synodo Lateranensi præfuit. Suffragium tulerat in sex omnino Congregationibus, præcipue in ea, quæ pro examinandis duodecim Noaillii articulis habebatur, quos tamen ipse nec omnino rejecit, nec ex integro approbavit. Tandem anno salutis nostræ millesimo septingentesimo vigesimo sexto Purpura honestatus, Romam venit, mox tamen ad Perusinum gregem suum bonus Pastor reversus, pertinaci morbo obrutus anno ætatis suæ quinquagesimo nono decessit. Corpus ejus solemniter pompa elatum in Ecclesia sua titulari ad S. Augustinum quiescit. Præsul erat perenni memoria dignissimus, quem scientiarum præstantia, rerum gerendarum dexteritas, æquitatis studium pluresque aliæ eminentissimæ animi dotes plurimum commendabant. Carpitur tamen a nonnullis ob præcipites iræ motus nimiamque severitatem, quam tamen administrandæ justitiæ, criminumque ulciscendorum ardor excusare videtur.

§. LXXVI.

*Fratris Augustini de Pipia Cardinalis decessus.*

Tertius

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

**T**ertius, qui inter Purpuratos hunc annum vitæ suæ exitialem habuit erat Augustinus Pipia natione Sardinus. Hic anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo Parentibus honestis, morumque integritate claris Oris primam lucem aspexit. Mox a primis unguiculis in eo enituit indoles, paternæ pietatis hæreditaria, & studio rerum sacrarum dedita; hinc jactis literarum fundamentis, ut ex ephelis excessit, Ordinis Prædicatorum Oris amplexus est Institutum. Ingenium cum nactus esset alacre & vivax, Philosophicis, Theologicisque Facultatibus tam impenso, tamque felici studio incubuit, ut mox tradente utriusque disciplinæ ejus Confratribus præficeretur. Tantos inde retulit Auditorum applausus, ut idcirco a Superioribus Romam vocatus maximis in rebus adhiberetur, & cunctos eosque honorificos Ordinis sui gradus & nomina pertransiret. Primo Romæ in Collegio Minervitano per plures annos Regentis officio functus, a doctissimo Cardinale Cassanate in Theologum seligebatur: postea a Clemente XI. æquissimo meritorum Æstimatore Secretarius S. Indicis Congregationis, & SS. Rituum Consultor edictus est. Demum in totius Ordinis Comitibus die 31. Maij anno

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo primo omnium ferme suffragiis Magister Generalis renuntiabatur. Tertio post anno Ursinus Cardinalis ex eodem FF. Prædicatorum Ordine invitatus ac reluctans in Papam eligebatur. Tum vero plane obstupuit summa Pipiæ humilitas, cum summum Orbis Caput ad ipsius vocem ac præceptum profundissima subiectione sese inclinare, & supremi Apostolatus jugum nonnisi ex Magistri sui obedientia cervici suæ imponere cerneret. Haud absimili humilitate Pipia oblatam Purpuram recusabat, quam pariter nonnisi obedientiæ imperio adactus acceptavit, adeo, ut Pipiam jure cum Claudiano Poeta appellare valeamus Virum, . . . cui se Purpura supplex obtulit, & solus meruit regnare rogatus.

Ut vero tam Pipiæ electi merita, quam eligentis Papæ humilitas magis eluceat, haud abs re erit adducere hujus allocutionem ad Cardinales, ubi illum ad Cardinalatum promovit: *Æquum censemus, inquit, Venerabiles Fratres, ut Ordini Fratrum Prædicatorum de Apostolica Sede, & Catholica Fide luculentissime merito, quem nos expresse, Domino miserante, professi sumus, gratum etiam animum congruo aliquo Pontifici, Eccles. Tom. LXXIII. Y, tificiæ*

Sæc. XVIII. *tificiæ largitatis argumento exhibeamus*  
 A. C. 1730. *Cum enim ipsi tantum sacræ Religionis*  
alias ingenue vobis testati sumus, acceptas  
*referamus Cardinalatus dignitatem, quæ*  
*nullis nostris, sed præclaræ Matris orna-*  
*meritis & vestibus decorati fuimus, respu-*  
*tationis quodammodo jure obstricti, præ-*  
*dictæ Religionis Magistrum Generalem e-*  
*dem dignitate donare cogitamus: ubi*  
*quoque decori prospicere hoc pacto expet-*  
*antes, ut scilicet, qui præclarum hunc*  
*sublimem obtinebit locum, eum vestro ge-*  
*ndui, meritorum splendore, scientiarum*  
*præsertim Theologicarum condimento, &*  
*religiosarum virtutum odore conciliet ho-*  
*rem, quem defectuum nostrorum multitudine*  
*& planta pedis usque ad verticem capiti*  
*operti tribuere non potuimus; imo, ut*  
*verum non loqueremur, nimium obscur-*  
*mus. Ad majorem &c.*

Ita nempe in Benedicto Papa  
 Pipia Cardinale ejusdem S. Fam.  
 alumpis tunc & virtutis præstantia  
 & animi demissio æmulatione generatim  
 inter se commissæ certabant, dubium  
 que relinquebant, utra prævaleret.  
 merendo, hæc meritorum præmia  
 cusando. Paulopost Pipia ab eodem  
 Pontifice vacanti Auximano Episcopo  
 patui admotus, mirum dictu, quod  
 immoto studio, optimis exemplis  
 doctrina, & eruditione, prudentia &c.  
 Paderborn

Pastorali vigilantia Diæcesin suam ad Sæc. XVIII.  
 pristinum splendorem reduxit. A. C. 1730.  
 Æquitate amatissimus Sceleratos acriter  
 insectatus est, probos vero mirifice co-  
 luit, ac ipsemet non tam Episcopi  
 quam Parochi munus obeundo, ad  
 gregem suum utilissimos habuit sermo-  
 nes, omnesque vigilantissimi Pastoris  
 partes exacte adimplevit. Vitæ suæ  
 rationem sibi descriptis in certum  
 ordinem, ad quem horas diurnas divi-  
 debat. Ad primam Auroram recitatio  
 peno Canonico quotidie rem Divinam  
 peregit, & animo in rerum cælestium  
 contemplatione aliquamdiu defixo ma-  
 jora negotia expedire cæpit, cunctisque  
 ad se accedentibus alloqui copiam præ-  
 buit. Reliquam diei partem in Pasto-  
 rali labore, atque enodandis Theolo-  
 gicis quæstionibus conscribendisque do-  
 ctissimis tractatibus insumpsit, quos ta-  
 men præ nimia humilitate evulgari pro-  
 hibuit. Anno hujus sæculi vigesimo  
 sexto a Sardinæ Rege Protector Regni  
 nominatus, præter Canonicatum tria  
 scutorum millia, annuæ nomine accepit, & diffidia<sup>s</sup> Papam inter  
 & Regem jam dudum ferventia po-  
 tissimam partem feliciter extinxit. Pri-  
 vatæ tamen vitæ percupidus, Episco-  
 patum suum ultro dimisit, ac Romam  
 reversus, suam vivendi normam ad

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.  
 Ordinis sui institutum ac leges accuratissime composuit, quin tamen Ecclesie negotiis deesset; erat enim Benedicti XIII. manus dextera, ejusque consiliorum moderator fidelissimus, adeo ut nihil pene ardui nisi per ipsum Pontifex aut deliberaret, aut ageret. Tandem vero Augustinus meritis ac ætate gravis die vigesima Februarii septuagenarius obiit paucis post Benedicti XIII. mortem horis; decuit enim, ut qui in vita individuus laborum comerserat, etiam in morte æterni præmii socius esset, uterque præclarum Dominicæ Familix lumen. Corpus illius, in testamento caverat, in communi Fratrum suorum sepulcro tumulatum est, ejus vero bona in Oristeneum, Minorcense, & Minervitanum Ordinis Cænobium distribui voluit.

## §. LXXVII.

*Benedictus Pamphilius Cardinalis mortuus.*

Hic ex antiquissima Pamphiliorum Prosapia Romæ Anno 1653. die vigesima quinta Aprilis natus erat. Pater Benedicti Camillus Dux S. Martini, Mater Olympia Aldobrandina Romanæ Princes mulier universo Orbi notissima. A teneris Benedictus Sacro Or-